

IOANNES DE VENNINGEN PRAESVL  
Basilensis.



Ioannes ille ex nobili familia de Vennenigen oriundus, sua eruditione & pietate effecit ut Basiliensis & Spirensis cathedralium ecclesiarum Decanus crearetur. eas functiones cum dextrè administraret, factum est ut defuncto Arnoldo à Rotburg Basiliensi episcopo ipse anno 1458 in eius locū surrogatus fuerit. Quam primum is eam dignitatem adeptus esset, cogitare coepit quanam ratione Episcopatus ditionem à creditoribus liberare, atque Rempublicam Basiliensem insigni aliquo beneficio afficere posset. Itaq; cum senatu urbis consilio inito, apud Pium secundum pontificem egit, ut Basileæ Academiam fundaret, atq; eam priuilegijs solitis exornaret. Fuerat Pius iam antea scriba in Concilio Basileæ, atq; Aeneas Sylvius dictus, multis beneficijs ab eius loci incolis affectus. Itaq; episcopo et senatu, qui per legatos suos Romanam uenientes id anxiè petebant, satisfecit, atq; Basileæ Vniuersitatem, iuxta Bononiensis scholæ leges instituit, atq; eandem multis priuilegijs & immunitatibus exornauit: Hunc etiam episcopum atq; eius successores huins scholæ Cancellarios ordinauit. Quæ quidē omnia Fridericus Cæsar sua authoritate confirmauit.